



1678.

1. Godeschalcus, Joh: De concilio Ephesino
2. Leiser, Wilhelm: De responsis prudentium
3. Leiser, Wilhelm: De fide si delis
4. Leiser, Wilhelm: De praemiis.
5. Leng, Ludovicus: De beneficio ordinis.
6. Martini, Werner Theod: De auctoritate voluntaria
7. Nerger, Joachin: De specie obligationis inaequa-
lis, quae dicitur claudicans.
8. Roehrensen, Christianus: Fragmentum communionis
rerum primaevae, Discursus publico academico re-
futatus.
9. Schleierstein, Godof. Nic.: De venditione invita.
10. Schleierstein, Godof. Nic.: De dominio dormiente.
2 Exempl.
11. Schoerling, Ernest. Theoph: De Graecae linguae pro-
nunciatione ejusdemque variis dialectis.
12. Schurzfleischer, Cor. Sam.: Civibus academicis
historiam civilem auctoritate operam studiumque
pollicetur.
13. Struborius, Balth: De οτι Χρησθησιν veteran-

14. Straus, Godofr.: De juramento litis decisiua
15. ^{ant.} Straussius, Godofr.: De successione heergewaltae,
geradae, aliarumque rerum mobilium. 2. Exempl.
16. Straus, Godofredus: De revocatione delinquentium
et modo procedendi contra eosdem.
17. Wulfius, Johannes: Fortalitionum abessorum
defensionem . . . publico eruditorum examine
exponit. 2. Exempl.
18. Ziegler, Karpar: De jure litem denunciandi.
19. Ziegler, Karpar: De obligationibus in genere.
20. Ziegler, Karpar: De jure victuatum.

1679.

1. Miicher, Fridor. Christ: Peregrinatio S. Pauli
transmarina, Geographica descripta
2. Kirchmaier, Georg Karp: De obsidione Hierosa
lymitana, ex 5 hist. Cl. Taciti.
3. Kirchmaier, Georg Karp: Pontius Pilatus, praeses.

4. Leides, Wilhelm : De oculari Inspectione.
- 5^{a & 6.} Müller, Antonius : De Compositione praes.
2 Bände
6. Auentest, Johann : De spiritus sancto effusione.
7. Auentest, Joh. Andr. : De fructu verbi divini, fide
et auditu per verbum Dei.
8. Schurzfleischer, Konrad : Thematia, quibus primi
Christianorum Imperatoris antiquitates illustran-
tur.
9. Schwartz, Gregorius : Crimen laesae majestatis
10. Straussius, Godefr. : De militia togata et ejus
vinculis cum sagata.
11. Ferber, Georgius : Eclogae IX.
12. Ziegler, Karpus : De visitationis ecclesiarum
et procuratoris jure.
13. Ziegler, Karpus : De commutato.
14. Ziegler, Karpus : De mutuo.
15. Ziegler, Karpus : De effectu magistratus ex l. 19
p. de off. praes.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



7269.

FE

1678

8 5 9

D. D.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

VENDITIONE INVITA,

QVAM

Consensu Illustris in celeberrima
Albianâ Jctorum Ordinis,

Sub moderamine

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
AC CONSULTISSIMI

DN. GODOFREDI NICOLAI
Schleenstein / J. U. D.

.Dn. Patroni, Præceptoris & studiorum suorum,
Promotoris, æternis obsequiis devenerandi,

publicè ventilandam sistit
Ad diem ~~XI~~ Maji Anno M. DC. LXXIIK.

In Atrio Jctorum,
A R.

LUDOVICUS RUDOLPHUS BRAUNE,
Barbyens: Saxo.

Typis IOH: BORCKARDI, Acad. Typogr. excudebat SIMON Steberhirs.



312

D. D. DISSERTATIO JURIDICA

VENDITIONE

INVITA

Consensu Illustris in celeberrimis

Albani Jurorum Ordinis

Sub moderamine

AC CONSUETUDINE

DR. GODOFREDI NICOLAI

J. U. D.

Dr. Patroni Præceptoris & Auditoris Jurorum

Promotionis, et ceteris obsequiis deventurandi

publicè venditurus esse

in Anno M. DC. LXXII.

in Arcione Jurorum

A. R.

LUDOVICUS RUDOLPHUS BRAUNE

Barbensi Saxo

Typographus: HORCKARDI, Aed. Typogr. eruditorum SIMON STEINER



I. N. J. A.

CAP. I.

*De Consensus in Emtionis Venditionis contra-
ctu, necessitate & ejus requisitis.*

TH. I.



Antequam ipsam invitæ venditio-
nis accedam materiam, prius de consensus ne-
cessitate quædam præmonere non incongruum
fore puto; Hunc in omnibus contractibus re-
quiri indubitati Juris est; Aded enim genera-
le est conventionis nomen, ut nullus sit contra-
ctus, nulla indè obligatio, quæ eandem non in se contineat. Et hæc
nihil aliud, *quàm duorum pluriumve in idem
placitum consensus*, l. 1. §. 2. 3. ff. de Pact. ut proindè con-
sensus meritò audiat omnis obligationis ex contractu & inde
competentis actionis fundamentum, per l. 55. ff. de Oblig.
& A. ubi Ictus asserit, *quamlibet causam contrahendi, nisi
utriusque animus consentiat, perducì ad effectum non posse;*
Quamvis nunc omnibus contractibus commune sit, ut consensum
in se habeant, is tamen in omnibus non sufficit. Nam in aliis
intercedit saltem tanquam initium contractus, in quibus solus non
producit efficacem obligationem, nisi interveniat simul actuale
aliquod adminiculum, ut in Realibus rei traditio, quæ demùm
obligationi initium præbet; In aliis, puta Consensualibus, tan-
quam forma essentialis & substantialis, & in his solus efficax est, ad
producendam obligationem & actionem, *pr. l. de Oblig. quæ ex
consens.* quæ filia obligationis dicitur l. 42. §. 2. ff. de Procurat.

TH. II.

Sic Emtio Venditio, quæ inter consensualium contractuum
species, propter usum quotidianum, tanquam gemma eminet, so-
lo con-

lo consensu perficitur. *l. 1. §. 2. ff. de Contrab. Emt. l. 2. pr. & §. 1. ff. de O. & A. nec ad sui perfectionem requirit pretii numerationem, l. 2. §. 1. ff. de C. E. nec rei traditionem, §. 1. l. de Oblig. que ex consensu. ut in Realibus, quibus L. non subscribit, priusquam res interueniat, quæ ab uno contrahentium ad alterum proficitur; item non desideratur hic verborum solennitas, l. 2. §. 1. ff. de O. & A. quæ tamen in verborum obligationibus exigitur præcisè, ut nimirum præcedentem interrogationem, congrua & oretenus prolata sequatur responsio. *pr. l. de V. O.*; Nec Arrha ad perfectionem eius quid confert, sed signum saltem est Emtionis contractæ aut contrahendæ. *pr. l. de E. V. l. 17. C. de Fide Instrum.* Nec denique scriptura, ut in literarum Obligationibus *l. de Literar. Oblig.* Juris necessitate & natura hujus contractus requiritur; sed quamprimum de re certa & pretio certo consensum, statim perfecta Emtio, quoad obligationem, ad id, ut altero contrahentium invito ab eadem resilire integrum non sit, ne quidem Principis rescripto. *l. 3. C. de Resc. Vends. Rescripta enim contra Jus elicitæ, & quæ adunt alium, à quovis Judice refutari possunt. l. 7. C. de Prec. Imper. offer. l. 6. C. Si contra Jus vel util. publ.*; Nec etiam cum arrharum amissione; Mutuo tamen dissensu eandem dissolvi posse nil abnuo, licet arrha aut fidejussor intercesserint; Naturali enim æquitati nihil consentaneum magis ac conforme, quam unumquodque eodem modo ac genere dissolvi, quo colligatum est. *l. 153. de R. J. §. ult. l. Quib. mod. toll. oblig. l. 80. ff. de solut. & libemat., l. 58. ff. de Pact. modò res adhuc sit integra, i. e. neque pretium solutum, neque res tradita. d. §. ult. l. 1. & 2. C. quando lic. ab E. reced.**

TH. III.

Spectamus autem in Emtione Jure Romano solum consensum contrahentium, non eorum, quibus fortè actio inde acquiritur. *l. 12. ff. de C. E.* sicuti nec consortium aut propinquorum, *l. 14. C. eod.* improbarunt enim LL. Roman. Jus *negolunhous*, ne impediat commerciorum libertas. *d. l. 14.* Reperiuntur tamen casus nonnulli excepti, in quibus illud Jus *negolunhous*, quod etiam dicitur, Congruum, Retractus, Præsentationis, Germanicè, *der Vorkauff/ Einstand/ Nähergeltung/* exercetur; e. g. in casu *l. ult. C. de Jur. Emph. l. 67. ff. de Pact. l. 16. de reb. auctor. Judic. possid. & aliis.*

TH. IV.

TH. IV.

Habet consensus hic varia requisita: (1) *Sit Mutuus*, i. e. non unius, sed utriusque contrahentis debet adesse voluntas. Est enim generaliter omnis *conventio, duorum pluriumve in idem placitum consensus. l. 1. §. 3. ff. de Pact.* Licet itaque alter consensum exponat, alter verò consensum suum acceptando non addat, non erit contracta Emptio, sed uterque consensum declarat opus maxime, quæ declaratio vel sit expressè, vel tacitè; Expressè, quando verbis, literis, *l. 2. ff. de Pact. l. 4. ff. pro Socio.* item nutu, hic enim sufficit ad arguendum consensum & dissensum. *l. 48. ff. de O. & A. arg. l. 22. ff. de Leg. III. l. 65. §. 3. ff. ad SCrum Trebell.* vel etiam nuncio voluntatem significamus, *l. 1. 2. ff. de C. E.* Tacitè, quando ex re vel facto consensus colligitur; Intelligimus verò facta ejusmodi, quibus intervenientibus non potest videri non placere præcedens conventio. E. g. Si quis me præsentem, nec contradicente, prædium meum vendit, & ego pretium ex eâ causâ accipiam, quamvis verbis expressis non consenserim, nihilominus videbor ipse vendidisse. *l. 12. ff. de Evict.* Nam contractus, qui consensu nascuntur, resultant tacitè ex usu & patientiâ illorum, inter quos actus celebratus. *v. l. 6. §. 2. l. 18. ff. Mand. l. 13. §. 11. ff. Locat. Conduct.*

TH. V.

Sit (2) *Præsens*, i. e. conceptus de negotio præsentem, non futuro, quia hoc modo pactum de vendendo, non venditio iniretur: *v. Struach. Diss. 15. aph. 10. Vultej. Comment. 1. ad pr. n. 12. de E. V.* Si igitur in vernaculâ nostrâ hisce verbis, e. g. emptor dicat: *Ich will es kauffen / vel, ich will es also annehmen /* respondeat venditor: *Ich will dir es also verkauffen / vel, ich will dir es also lassen;* fiat conventio, anne venditio ea censenda, anne pro pacto de vendendo habenda quaeritur? Ratio dubitandi est, quòd verbum germanicum *ich will* sese referre videatur ad tempus futurum: Sed Resp. esse venditionem, idèd, quia vix aliis verbis soleat vel etiam possit contrahi in germanica nostrâ, quàm per verbum: *Volo ich will;* quod juxta communem loquendi usum, qui etiam proprie

A 2

propriae verborum significationi praevalet. l. 7 §. 1. ff. de suppell.
leg. Est enim omnis verborum intellectus extraneus, qui non con-
sonat auribus vulgi; de praesenti tempore erit accipiendum; Qui
Itaque his verbis contraxerunt, videntur se accommodare voluisse
ad intellectum horum verborum communem & consuetum, juxta
quem dubia explicanda. Partium tamen sicuti consensus praesen-
tia opus non est, siquidem inter absentes quoque per literas &
nuntium recte fit Emptio. l. 1. §. ult. de C. E. Nec etiam Rei ven-
dendae; Cum de re futura, quae legitime speratur, non modo recte
ineatur Emptio, l. 8. eod. sed etiam quod Rei interventio actualis
plane non requiratur ad Emptionis perfectionem, ad quam non res,
sed conventio de re sufficit.

TH. VI.

(3) Consensus *non sit dolo elicitus*; bonae fidei e-
nim, quae in hoc contractu exuberare debet, nil magis contraria-
tur quam dolus, l. 5. C. de Resc. Vend. qui si causam dedit contra-
ctui, reddit eum ipso Jure nullum. l. 7. §. 1. ff. de dol. mal. l. 16. ff. de
Minor. l. 3. §. ff. Pro socio: v. Gail. 2. O. 72. n. 6. Zes ad ff. 1. de
dol. mal. n. 3. Ekkold ad ff. eod. l. §. 8. Struv. Syntagm. Jur. Civ.
Exerc. VIII. tb. 28. Ita tamen, ut illi, qui dolose ad contrahendum
inductus, competat electio, an velit contractum servare & ad sup-
plementum agere, an eum dicere nullum: Struv. d. l.

TH. VII.

(4) Non sit *Erroneus*; quia is, qui errat, consentire
non videtur: l. 116 §. 2. de R. J. l. 2. ff. de Judic: committitur verò
error *vel circa Personam*, & hic facit emptionem nullam,
arg. l. 9. ff. de hered. instic. l. 2. §. 16. ff. Pro Emptore. *vel circa
pretium*, hic quia dissentire potius quam consentire viden-
tur, pro imperfecta erit habenda Emptio. l. 9. pr. ff. de C. E. *vel denique
circa rem ipsam*; ubi multipliciter contingit, vel enim
error est *Nominis*, qui ut in aliis, ita nec hic obest veritati. l. 4. C. de
Testam. l. 17. pr. §. 1. ff. de demonstr. §. condit. modò de corpore
constet, l. 9. pr. de C. E. quòd si in hoc erratur, e. g. si alter putet se
emere

emere fundum Cornelianum, alter se vendere Sempronianum,
nulla tunc est emptio. *d. l. 9. l. 2. §. 6. ff. Pro Emto.* idem tenendum in
errore materiz. *l. 14. in f. de C. E.* vel versatur error circa rei qua-
litate[m], eamq[ue] vel legalem, quæ si cognita, contrahentibus facit
emptionem nullam. *l. 6. ff. de C. E.* si emptor ignoret saltem, itidem
non valet emptio, teneretur tamen venditor ad interesse. *l. 62. §. 1. l. 40
eod.* si utriq[ue] incognita, repetit emptor pretium; vel naturalem,
& hic non viciat emptionem, *l. 10. eod.* aliud tamen in errore sexus
dicendum per *l. 11. in f. eod.*

TH. VIII.

Subit jam (5) requisitum, quod consistit in consensu
libertate: Libera enim cuique ab initio est habendi vel non
habendi contractus potestas *l. 5. C. de O. & A* & omnis contra-
ctus ab initio voluntatis, §. 11. *f. Mandat. nihil autem consensu*, &
ejus libertati, tam contrarium, quamvis ac metus, quem compro-
bare contra bonos mores est. *l. 16. de R. J.* si enim libere consentire
velis, necesse est, ut ad id volendum aut repudiandum à nemine
cogaris, & hoc est, quod in *l. 1. §. 3. de Pact.* dicitur: *sicuti conveni-*
re dicuntur, qui ex diversis locis in unum colliguntur & veniunt, ita
& qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, i. e. in unam
sententiam decurrunt. Ex quibus sua sponte fluit, quòd nemo sit
cogendus invitus, ut emat vel vendat, nè quidem à Principe, *l. 110
13. 14. C. de contrab. emt*: Principi enim subditorum Jura convertere
aut lædere non licet. *l. 4. C. de emancip. liber.* Quotiens igitur vi
& metu coactus quis contrahit emptionem, ea quidem ab initio
subsistit. Metus enim non reddit actum ipso Jure nullum, *l. 21. §. 6.
Quod met. causa: §. 1. l. de Except.* sed quia res pessimi exempli est,
ex æquitate à Prætoribus rescinditur. *l. ult. §. 1. ff. Quod met. causa. l. 4.
5. C. eod.* Modò metus sit justus, i. e. probabilis, non vanus, cum
vani timoris nulla sit excusatio, *l. 184. de R. J. l. 8. C. quod met. causa,
l. 13. C. de Transact.* ideoq[ue] allegans eum probare teneretur. *dd. LL. add.
l. 14. §. 3. ff. quod met. causa.* Sunt & alia consensus requisita, quæ lu-
bens omitto, plura enim de hac materia ubivis & apud omnes Au-
thores obvia afferere paginæ angustia & instituti ratio vetat.

Liquet nunc, mutuum & liberum utriusque contrahentis consensum semper requiri in Emptione Venditione, cui rei nulla alia subest ratio, nisi summa hujus contractus frequentia ac utilitas, quodque durus admodum & inhumanus mos sit, qui privat homines liberam rerum suarum administratione, quae tamen cuilibet relinquenda, cum justum ac naturali aequitati conveniens sit, suae cuique committere, & quilibet optimus rerum suarum sit moderator ac arbiter. l. 9. C. de Judais. l. 21. C. Mandat. Sed nulla regula tam firma, quae non patiatur suas exceptiones vel ob circumstantiarum diversitatem, vel casus & rationes specialiores, quae ab ea discrepant; Sic haec nostra, quae vult: *neminem debere cogi invitum emat aut vendat*, plurimis limitatur, casibus, in quibus quis ad vendendum invitum compelli potest, scilicet a Principe vel Magistratu Jure licito & honoris, quem sustinet. Et licet, si generaliter quis tractaverit, incivile sit, hominem invitum jubere facere quod non vult, si tamen specialiter quis tractaverit, potest esse justa causa compellendi cujus ad negotiationem: l. 9. §. 10. ff. de Penis; Quae autem sint illae justae causae, de his in sequentibus erimus solliciti, collegit potissimos Dn. Struvius Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 23. tit. 7. Zes. ad ff. de E. V. n. 4. & alii. Generalem nos ponimus; *Singularem Reipubl. utilitatem & necessitatem*, cujus sub species nobis erunt haec tres: 1. *Publica inopia & Famis necessitas*. 2. *Favor Religionis*. & 3. *Nimia Dominorum in servos severitia*; Dantur equidem adhuc plures, v.g. Rei communio, quam quis habet cum Fisco, l. 2. C. de Commun. rer. alienat. item Favor libertatis, §. ult. l. de Donat. l. 1. §. 1. 2. 3. & seqq. C. de commun. serv. manumiss. & alii casus, sed hos allegasse sufficiat.

CAP. II.

De prima invite Venditionis Causa.

TH. I.

Generalem invite Venditionis causam posuimus, singularem Reipubl: utilitatem ac necessitatem, cum omnes specialiores, quæ venditionem invitam operantur, sese in utilitate ac necessitate publicâ fundent, & sub eius ambitu comprehendantur. Hanc autem veram & iustam esse causam, quam propter privati ad vendendum adigi possint, vel ex eo saltem patet; Quod bonum publicum omnium pensationum finis primarius & adeo favorabile sit, ut ad illud promovendum omnes etiam extra ordinem obligentur; sed generaliter deduci illud ulterius potest inde; Quia favore utilitatis publicæ à communis Juris regulis recedere licet, ac multa propter eandem permittantur, quæ aliàs permissa non sunt. *l. 51. ff. ad L. Aquil. & quod omnia, quæ eidem contrariantur, irrita sunt & fiunt; uti se habet expressa sanctio l. 10. C. de S. S. Eccles. in qua ita generaliter constituitur: Hoc in omnibus casibus observari cupimus, ut generaliter si quid contra Jus vel utilitatem publicam in quovis negotio proferatur, non valeat; Deinde quoniam publicæ utilitati omnis cedit privata. Ea enim, quæ communiter omnibus profunt, iis, quæ specialiter quibusdam utilia, præferenda sunt. *Autb. quæ res. C. commun. de leg. & Fidcomm. Nov. 39. c. 1. l. un. §. 14. C. de caduc. tollend. quibus ad stipulatur Jus Canonicum in c. Licet 18. X. de Regular. & c. 3. de Postul. Præl.* Et tandem, quis propter utilitatem publicam Juri privatorum noceri potest, quæ assertio fuit ex proximè præcedenti. Hæc & similia si in argumenti formam redigantur, sequetur conclusio, E. propter utilitatem publicam cogi quis potest ad vendendum. Subintellige, uti supra innuimus, à Principe, vel etiam inferiori magistratu.*

TH. II.

Quod tamen non ita crudè accipiendum, ac si indifferentes propter

propter quodvis, vel minimum interesse publicum Principi aut
magistratui tentare id liceat; Si enim aliquod luculli saltem Res
publ: ex hoc consequatur, privato verò per rei suæ alienationem
grande nimis infligatur damnum, & ita gradus utilitatis privatæ
præponderet publicæ, tunc aliud dicendum, & privatam majorem
publicæ utilitati minori præferendam esse, concludunt Dd. per l. r.
§. 6. ff. ne quid in flumin. publ.; sed suo modo, si nimirum in eo
versetur singularis utilitas publica, vel etiam cum quadam morali
ad minimum necessitate conjuncta, (idcirco supra addimus verba,
singularem utilitatem & necessitatem) quo casu, cooperante sc. ne-
cessitatis causâ, firmiter erit assertio nostra, quàm quòd ab alio e-
verti queat; cui robur addit prætereà, quòd necessitas nulla ad-
stricta legi, semper enim quandam præsupponit impossibilitatem,
quapropter non subditur LL. quæ de possibilibus saltem disponere
debent. c. Erit autem. dist. 4.; sed ipsa potius legem faciat, & in-
justa justa sæpè & probabilia reddat, secundum c. ad Lim. Beator.
30. quest. 1. Clariora hæc reddent causæ & casus specialiores,
quos jam aggredior, & ut supra monitum, hos non omnes refer-
re, sed tres potissimos in LL. occurrentes, & quorum antea feci
mentionem, compendio attingere, in quantum ingenii vires per-
mittunt, animus est.

TH. III.

Prima invitæ Venditionis causa specialis nobis esto:
Necessitas Famis, s. Inopia publica. Quando ni-
mirum Respubl: rerum annonariarum, quarum nomine in specie
veniunt, quæ militibus Romanis erogabantur expeditionis tempo-
re. Panis, vinum, acetum, lardum, caro, vulgò Proviant / l. 1. C.
de Erogat. milit., in genere omnia ea, quæ ad victum humanum
pertinere videntur; difficultate premitur, hoc enim casu justè co-
guntur subditi, qui frumentum vel alias species annonarias possi-
dent, ut distrahant easdem, per l. 2. C. Ut nemin. in emt. specier. se-
excus. in quâ expressè sancitur, quòd omnes Romanarum civita-
tum incolæ, & qui in eis aliquid possident, quotiescunque inevita-
bilis causa, i. e. extrema aliorum indigentia & necessitas, exigat,
cogi possint in alias etiam civitates conferre species & easdem e-
gentibus

gentibus vendere; Ità, ut hoc casu nullus omninò exemptus sit, ne-
que etiam illis, qui privilegia habent, sese privilegio um occasio-
ne ab hac collatione & venditione excusandi potestas relinquatur,
cum nec sacratissima Principis domus, nec Serenissimæ ejusdem
conjugis ab ea immunis sit, l. 1. G. eod.; Quandoquidem necessitas
omnem excludit immunitatem, & in omnibus privilegiis ac dispo-
sitionibus excepta intelligitur. l. 11. C. de SS. Eccles. l. 1. C. de Indict.
lib. 10. l. 10. C. de Annon. & tribut. l. 2. C. de quibus munerib. vel pre-
statione. l. 21. C. de curs. publ. & angar. Quod ipsum & placuit
Pontifici in c. non minus. X. de Immunit. Ecclesiar. Præstat enim
quorundam privilegia tantisper quiescere, quàm ut propter in-
tempestivam eorum religionem tota pereat civitas, aut damno af-
ficiatur. Hinc vulgatum illud enatum dictèrium: *Vocat ne-
cessitas cunctos*; Quod tunc potissimum locum habebit,
quando illi, qui privilegiis gaudent, copiam rerum annonariarum
possident.

TH. IV.

Et hoc in tantum procedit, ut cogi quis possit ad vendenda
victualia, quò evitetur inopia publica & annonæ caritas, etiam si
publicè eadem non exhibuerit venalia, aut publicè venditioni
obtulerit, per d. l. 2. C. ut nem. in Emt. specier. & c. v. Mynsinger.
Cent. 5. O. 27. n. 3. Nil hinc officiant, quæ Jason & alii notârunt
ad l. invitum 11. C. de Contrab. Emt.; quòd sc. tanta sit comercio-
rum libertas, ut etiam tunc, quando quis spontè merces venales
exhibuit, non possit cogi ut vendat, si ipse vendere nolit. Hæc e-
nim Jasonis sententia procedit quidem regulariter in mercibus
pretiosioribus, sed limitanda non modò venit in rebus ad victum
necessariis, etiam extra inopiæ casum; Sed tempore necessitatis &
inopiæ publicæ omnimodò cessat. Propterea, quòd necessitas &
in specie famis non modò non subjaceat Legi, uti exemplum l. 2.
C. de Patrib. qui fil. distr. evincit, ubi Patribus conceditur potestas
alienandi liberos sanguinolentos, ob summam egestatem & urgen-
tem famem, contra L. prohibitionem tam *generalem*;

B

secundum

secundum quam liber homo omni commercio exutus, quod haberi non possit, l. 4 de C. E. & estimationem non recipiat. l. 3. § quadrup. paup: feciss. dic. l. 106 de R. J. in E. V. contractum non cadit, quam *specialem*, l. 1. C. de Patrib. qui fil. distrax. quæ L. in specie interdicit Parentibus omnem liberorum alienationem, quocumque tandem titulo, modo & prætextu hæc fiat. Sed etiam quod necessitatis tempore omnia sint communia, maximè cibaria, arg. l. 2. ff. ad L. Rhod. de fact. c. sicut 47. dist. sine quibus vita sustentari nequit, cum de vento aut de nihilo accipenserum more homines vivere non possint. l. 2. C. de alim. pap. prest. quos tamen servari Reipubl: interest. *Da. ad l. 1. §. 15. ff. de Ventr. in poss. mitte:* ut Respubl: multos habeat cives, quod florentis status ac divinæ benedictionis certum indicium; Hocq; est, quod inquit Div: Hadrianus Imperator, quando dicit in l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat: *Favorabilem apud me causam liberorum Albini filiorum numerus facit, cum ampliari imperium hominum adjectione, quam pecuniarum copia malim;* Verum proinde manet, subditos cogi posse ad vendenda victualia, licet publicè venalia non exhibuerint; Hoc tamen & notari meretur; Quod nemo cogendus sit omnem suam annonam vendere, quam sui usus gratiâ & pro suâ sustentandâ familiâ comparavit, sed superfluas saltem species, quandoquidem satis impium, suis quem defraudari, eaq; in alios transferti. l. 2. C. ut nem. in emt. *specier. Sc. add. l. 6. C. de serv. & aqu.*

TH. V.

Porro non solum cogi possunt subditi ad victualium distractionem, ut evitetur annonæ caritas, sed etiam distractioni eorum talis potest poni modus, ut eadem nulli extraneo, sed oppidanis saltem & concivibus vendant. Nec iniquum hoc alicui videri potest, meritò enim extraneis emtoribus præferuntur illi, cum quibus communis patria, & constat in hoc charitatis ordo, quæ à se ipsa incipit, & secundum quam quis magis tenetur ac priùs subvenire iis, quibus sanguine aut alio proximitatis genere junctus, quam extraneo, in quo cessat ordinaria affectio. arg. l. 6. C. de serv. & aqu: Non incommodè huc refertur l. 35. ff. de Minorib. cujus verba sunt: *Si in emtionem penes se collocatam minor adjectione,* scil.

scil. in licitatione facta, ab alio superetur: implorans in integrum
restitutionem, audietur, si ejus interesse, eam ab eo rem fuisse ad-
probetur: veluti quod majorum ejus fuisset. &c. Hic minor debet
in integrum restitui, & alteri emtori præferri, propterea quod à
majoribus ejus bona provenerunt, & idè proximitatis Jure præ-
poller. Facit huc quoque, quod in adjudicatione bonorum sem-
per proximiorum major habeatur ratio. v. Moller. Semestr. 2. c. 29.
in f. Ex his optimè concluditur, quod etiam Respubl., quæ mi-
norum jure uti solet, l. 4. C. ex quib. causis major: 25. ann: & cives
in eadem, ex hac proximitatis ratione extraneis in emtione victua-
lium præferantur, quia ubi eadem militat ratio, ibi idem quoque
jus statuendum; Imò non ineptè quis ex d. l. 35. concluderet, quod
& jam in extraneum facta venditio victualium, invitis licet emto-
re & venditore, rescindi, & ita Respubl. s. concives contra extra-
neum in integrum restitui possint, cui insuper accedit, quod publi-
ca utilitas, non dicam necessitas, privatorum quoque præferatur
contractibus, sicuti se habent ipsissima verba l. 3. C. de Primpil. &
clarefcit exemplo l. 3. §. 15. ff. Pro SCo Silan.

TH. VI.

Jure itaque subsistere edicta illa magistratuum, quibus injun-
gitur subditis, ut propter metum annonæ caritatis & victualium
inopiam, eadem in oppidanos saltem transferant, non verò in
exteros aut forenses, haud dubitandum. add. l. 2. ff. de Nundin.
Nec quicquam negotii nobis hic facessit l. 14. C. de C. E. ubi Valen-
tinianus, Theodosianus & Arcadius Imperatores, sanxerunt.
Quod unusquisque suo arbitrato quærere possit & probare emto-
rem; & ita per consequens nemo urgendus, ut uni magis vendat,
quam alii, idè; propter commerciorum libertatem; Nec etiam l.
9. §. 3. de A. R. D. nobis quicquam derogat, quando dicit; Nihil e-
nim tam conveniens est naturali equitati, quam voluntatem Domini
volentis rem suam in alium transferre nullo modo haberi; Illex quippe
necessitas his LL. se adstringi non patitur, & omnem prohibitionis
infringit causam. l. 13. ff. Fam. Erisc. & nunquam tam firma erit
objectio in commerciorum libertate fundata, quin ex hoc publi-
cæ utilitatis & necessitatis fundamento dilui queat. Nec etiam
dd. LL. absolute procedunt, sed varias admittunt restrictiones.

TH. VII.

Quocunque tandem modo quis publicæ necessitatis tempore vendere compellitur, semper id fiat refuso justo pretio. Sic jubet sanctio l. 2. C. ut nem. in emt. Sc. Civitatum incole, & qui in eis aliquid possident, non cogantur in aliam civitatem species conferre, sed si inevitabilis quædam causa id fieri exigat, justis pretijs, quæ in ea civitate obtinent, ex qua præbentur species eas indigentibus vendant. Dicitur hic (1) refundendum pretium, & rectè. Quando enim asseritur, quod privati ob publicam necessitatem Jus suum auferri possit, illud non intelligendum absolutè, ac si prorsus bona sua alicui auferri possint; Hoc enim esset contra Jus divinum. Ezech. 46. v. 10. ubi hæc habentur: Non accipiet Princeps de hereditate populi per violentiam, & possessione illorum, ne dispergatur populus. Esset contra Jus naturæ, in quâ fundata regula Juris æquissima: Quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit, l. 11. ff. de R. J. & nemo cum alterius damno vel injuriâ fiat locupletior. l. 206. de R. J. sed ita, ut fiat sub titulo emtionis, refuso pretio. v. l. 9. C. de operib. publ. l. 13. §. 1. ff. Comm. prædior. Durum enim, imò impium, subditum absque suâ culpâ pretio carere, & uni imponi damnum commune. add. l. 2. ff. Quod vi aut clam. Gail. 2. O. 56. n. 8. & seqq. Mysing. Cent. 5. O. 27. Anton. Gomez. lib. 1. Resolut. c. 2. n. 51. Petr. Georg. Tholosan. in Syntagm. Jur. Civil. lib. 36. c. 30. n. 4. Limitamus prædicta, si talis subsit necessitatis casus, ubi res privati nihilominus certò peritura fuisset, e. g. incendii, v. l. 7. §. 4. ff. Quod vi aut clam. l. 49. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 3. §. 7. de incend. ruin. & naufr. nam tunc pretium refundendum non est.

TH. VIII.

Additur (2) notabiliter *pretio justo*, quoties enim coguntur subditi ad vendenda frumenta, & similes species, seu ut LL. loquuntur, quoties indicitur coemptio, semper ea justo indicenda pretio. l. 6. ff. de Eximordim. cogn. Nemo enim cogi potest, ut vendat minoris ac ipsa annona exigat. l. ult. pr. de Annon. l. 8. ff. ad Municip. l. 5. ff. de Admin. rer. ad civitat. Dicitur autem justum pretium, quod est rei æquivalens, non æquidem quod exactè cum

cum merce conveniat, sed ut quandam saltem habeat proportionem ac convenientiam, quæ intelligitur secundum æstimationem hominum, & hæc pro rerum abundantia & qualitate, temporum fertilitate & sterilitate variat. *l. 63. §. f. ff. ad L. Falcid.* ut adeo idipsum certo determinari nequeat; Cum tamen multum intersit Reipubl: res ad vitæ sustentationem & usum quotidianum necessarias certo ac justo vendi pretio, ideo magistratus idipsum definit, *l. 1. §. ii. ff. de Offic. Præf. urb. l. ult. §. 7. vers. item: ff. de Munerib. l. 1. C. de Episc.*, ne venditores propter coactionem infensi & rei penuriam non nisi pretio gravissimo res hominum alimentis necessarias distrahant. *dd. LL.*

TH. IX.

Hoc equidem non dictum ad gustum Bartholi, qui ad *d. l. 1. §. ii. ff. de Offic. Præf. urb.* notat, quod hoc necessitatis & inopiæ tempore cogi possint subditi, injusto etiam vendere pretio. Quam sententiam & fovet *Tiraqu. l. 1. de Retract. in præf. n. 28.* & alii, rationes, quas pro firmanda sua opinione adducunt, videri possunt apud eosdem *d. l.* nam eas huc adscribere non vacat. Falsam vero esse eorundem opinionem, patet ex dictis, & evincit vel unica *l. 2. C. ne quis in emt.* cui tamen quamplurimi alii Juris textus suffragantur.

TH. X.

Coronidis loco in fine hujus capituli annexo hoc, quod ad evitandam caritiam & inopiam publicam quoque compelli possint subditi ad emendum in locis etiam remotioribus. *v. Struv. Syntagm. Jur. Civit. Exerc. 23. tit. 7. Schneidew. I. ad §. f. n. ii. de Empt. Vendit. Carpzov. l. 1. t. V. Resp. 42. n. 15.* & quod hoc casu certa possit definiti quantitas, ultra quam emere nemini liceat, ut eò facillius egeni frumenta sibi comparare queant. *Carpz. d. l.*

CAP. III.

De Secunda Venditione: In vitæ Causa.

TH. I.

Secunda specialis invitæ venditionis causa est. *Favor Religionis:* qui se exerit. in demortuorum sepultura; quam

quam nobis non saltem ipsa natura & humanitatis commenda-
 rat ratio; quæ nos admonet, ut eum, quem vivum fame & siti
 enectum recreare, nudum operire, & in hostium manibus positum
 liberare cenabamur, quem hospiti indigentem, excipere aut
 ægrotantem visere solebamus; nunc sensibus omnibus destitutum
 misericordia prosequamur, sepulchroq; comuni omnium domi-
 cilio, & diu duraturo, ita ut convenit inferamus; Sed quam et-
 iam communis gentium recepta consuetudo approbat, & quæ tan-
 dem, ipso Jure Civili favorabilis maximè est, ut in ejus favorem
 multa constituat ac permittat quæ alias vix permessa essent; sic e. g.
 ejus Favore sumtus in funus facti habent privilegium, prælationis
 ut omnibus omnino creditoribus etiam hypothecariis expressis
 præferantur per *L. 45. ff. de relig. & sumt. funer.*; quod & Jure Sa-
 xonico ita se habet. *v. C. Elect. 28. P. 1. Ps. 5.* Was auf der verstor-
 benen Schuldners Begräbnis & S. Nach jeh beruhrten Schuldens
 it: Favore religionis & sepulturæ, potest in loco comuni unus ex
 sociis, reliquis etiam non consentientibus & in vitis sepeliri *L. 41.*
de relig. & sumt. fun: cum aliàs in re comuni nemo Dominorum
 Jure quicquam facere possit altero in vito & prohibentis ceditio,
 semper sit potior; *L. 78. ff. commun. divid.*

TH. II.

Quod autem & favore ejusdem cogi possit: privatus adven-
 dendum probat. *L. 12. ff. de relig. & sumt. fun: qua in pr. & §. 6.*
 duo exhibet exempla: In pr. dicitur: Si quis sepulchrum habet,
 viam autem ad sepulchrum non habet, & à vicino ire prohibetur,
 cum interpellet extraordinem Præfidem, qui compellere debet
 justo pretio iter ei præstari. Ap. Romanos sc. non fuit idem &
 certus locus in quo corpora defunctorum conderentur, sed post-
 quam *L. XII. Tabb:* quæ ita cavebat: *Hominem mortuum*
in urbe ne sepelito neve iurito; interdictum esset,
 intra civitatem mortuos sepelire, ne aër putrefieret & pestilentes
 at contagiosos causaretur morbos aig *L. 3. ff. de Cloac:* & ne sa-
 cra civitatis funestarentur v. *L. 12. C. de relig. & sumt. fun:* in qua
 ita sancitum extat: *Mortuorum reliquias ne sanctum municipiorum*
 Jus

Jus polluatur, intra civitatem condijam pridem vetitam est: Sepeliebantur mortui à vel in fundo publico; & quidem egeni & humili loco nati extra portam Exquilinam, Honestiores & quorum præclara in tempubl: extabant merita, in campo Martio. v. Kirchmann: de Funerib: Romanor: L. 2. c. 24. 25. vel in locis privatis L. 73. de contrub: emt: L. 53. §. 1. ff. de Action: Emt: & de hoc loquitur L. nostra quod quando quis sepulchrum habet & iter ad illud non habet, ut sine quo usus sepulchri nullus, quod compelli tunc possit vicinus justo id vendere pretio, quod precario concedere noluit.

TH. III.

Aditus siquidem funeris faciendi semper debet adesse L. 10. ff. de religio: & sumt: fun: & propter favorem religionis, cujus summa est ratio, L. 43. ff. eod. strictam rationem insuper habemus, quia publicè interest ne cadavera jaceant in sepulta d. L. sed ut quam citissimè & sine omni obstaculo in memoriam humanæ conditionis sepeliantur. L. 38. ff. eod. L. 27. de condit: instir: Hin etiam est quod iis, qui demortuorum corpora obdebita non exsoluta aut arrestare aut alio quovis modo sepulturam eorundem impedire coguntur gravissima sit statuta poena, nimirum præter tertiarum bonorum partis confiscationem, cadunt non modò actione contra defuncti debitoris hæredes competente, sed in simul tenentur hæredibus similem solvere summam, & infamia notantur. L. f. cum. Aurb: seqq. C. de sepulchr: viol: Nov: 60. c. 1. N. 115. c. 5., nec immerito durâ hæc & rigorosa poenâ in humanus & rigorosus exequendi creditorum modus coërcetur, cum contaminata defunctorum religio poenam sacrilegii habeat. L. 5. C. de Sepulchr: Viol:

TH. IV.

Casum §. 6. ejusd: L. 12. quod attinet, in hoc ita, disponitur, sc. propter eundem religionis favorem & utilitatem rei publicæ, cui interest est quam citissime humari defunctorum corpora. Magistratus municipalis decernere debet sumtus ad funus, quorum nomine venit, quicquid corporis causa veluti unquentorum erogatum est, it. pretium loci in quo defunctus humanus & in summa quicquid corporis causa antequam sepeliatur impendendum. L. 37. ff. de

*f. de religios: & sumt: fun: & si non sint in promptu iubebit distrahi
res hereditarias, ut expediatur pecunia;*

TH. V.

Recessit hodiè ab usu humatio in locis privatis, siquidem à majoribus nostris certa destinata sunt loca sepulturæ, & ubi ossa fidelium asservarentur, ut sicuti vivorum in eadem Ecclesia, sic & mortuorum in eodem communi loco sit congregatio, quæ loca vocantur Cœmeteria, & Dormitoria, germanis. *GD Tres Ac-
ter /* quod ibi corpora piè defunctorum veluti grana in spem futu-
turæ messis seminentur; & extra hæc loca nulla permitterebatur
humatio, ne quidem in Ecclesiis olim *c. percipiendis X. 11. 9. 2.*
quod tamen postea limitatum quoad Episcopos *c. nullus 18. XIII. 9.*
2. & tandem omnibus Laicis & Clericis concessum, *c. Ecclesia 28.*
de consecr: dist: 1. c. ex parte 5. Sepult; Ne igitur latius divager.
Quæro an & hodiè, quando cœmeterium ejusmodi, propter ses-
pulchrorum & funerum coæcervationem, quæ facile contagiosis
morbis ansam præbet, vel extruendum vel extructum dilatandum,
an cogi possit privatus quispiam ut vendat fundum, agrum vel hor-
tum huic usui commodum? & respondeo Quod sic, quia hic eadem
publicæ utilitatis ratio & favor religionis urget & militat. Quando
itaq; non adest locus commodior ubi novum cœmeterium extrui
possit, vel si dilatandum quod propter propinquitatem loci aliter
fieri nequeat, optumo Jure potest is auferri privato, refuso tamen
justo pretio quod hic in specie probat. *d. L. 12. pr. de religios: &
sumt: fun: & est in. c. preced: 9. 8. & 9. diductum.*

TH. VI.

Exerit se quoque hic Favor religionis in extructione Ecclesia-
rum, vel extructarum amplificatione Favendum enim Ecclesiis,
per quas augetur divini cultus honor. Hinc fert comunis DD. o-
pinio, quod quoties domus vel alius locus necessarius sit ad Eccle-
siæ extructionem, autem dilatationem, quod tunc possessor cogi
possit eundem vendere. Quam sententiam & nos amplectimur,
modo extructio Ecclesiæ sit necessaria *v. c. audient: 3. de Eccles: edi-
fic: & repar: deducunt id quoque ex L. 15. §. 1. 2. ff. & Rei Vendic:*
vel etiam si necessaria adeò non sit modò non grave infligatur dam-
num privato; Nam Princeps etiam extra necessitatis causam
potest

potest auferre Jus privato quæsitum, si parum ei præjudicet & nocent. v. *Facineum Controv. Jur. l. VIII. c. 43. quest. 3.*

CAP. IV.

De tertia invitæ Venditionis causa.

TH. I.

Tertio loco succedit: *Nimia Dominorum in servos sævitia*: Hæc impunis olim erat, etiam ubi grabatur ad extrema; Dominica quippe potestas, quæ describi potest: Per Jus, quod Dominus exercet in servum, & Jure Gentium eidem competit, cui & ipsa servitus originem debet; dabat Dominis liberam disponendi facultatem tam de rebus, quàm corporibus servorum: *De Rebus*: ita ut quicquid acquirerent, illud acquirerent Domino. §. 3. l. *Per quas person. cuique acquir. l. 1. §. 6. ff. de acquirend. poss.* quia servus, qui in alterius potestate est, nil potest habere suum. l. 10. §. 1. ff. *de A. R. D.* sed quicquid acquirat, statim ei, cujus in potestate est, acquirat, ut neque per momenti spatium in ejus persona subsistat: l. 79. *de acquir. vel omitt. hered.* quoniam dominium est Juris Gentium secundarii & Juris Civilis, l. 5. ff. *de J. & J.* secundum quod pro mortuo habetur: l. 209. *de R. J.* & cum possideatur, possidere non videtur. l. 118. *de R. J.*

TH. II.

De Corporibus: Habebat sc. Dominus in servum jus vitæ & necis, §. 1. l. *de hu, qui sui vel alien. Jur.* & extra poenam erat, licet servum vel levissimas, vel planè nullas ob causas perimeret, quod & frequentissimè eveniebat. Siquidem servis non cessabatur fieri injuria, comparabantur quadrupedibus, l. 2. §. *ad L. Aquil.* subjacebant toti alterius, nec rarò excordis maximè potestati, in solam dominantis utilitatem, ut alia quælibet res, de qua quilibet liberam disponendi facultatem habet, l. 21. *C. Mandat.* erant Dominis instrumentorum loco, quibus abuti quis potest. l. 15. ff. *de hered. pec.* Imò benignè cum iis agi videbatur, qui ad tempus servarentur, cum belli jure statim occidi possent.

C

TH. III.

TH. III.

Alit huic immane quantum derogatum est, per D. Antonini Constitutionem, quâ (1.) prohibetur Dominus servum occidere sine causa LL. cognita; Est enim servus in hominum numero, inter quos natura generalem quandam constituit cognationem, quam propter hominem homini insidiari nefas. *l. 3. de j. & j.* Nec cogitandum, monente Senecâ, in mancipio quid impune pati possit, sed quid admittat æquæ boni; natura. Dominus igitur, qui proprium servum interficit, tenetur, ac si alienum interfecisset, *S. ult. l. de his, quæ sui vel alien. jur. & non potest esse extra reatum homicidii. l. un. C. de emend. serv.*

TH. IV.

Per eandem quoque D. Antonini Constitutionem (2.) majores insuper Dominorum aperlitas in servos, necessaria ac in vim venditionis pœna coercetur; Hocq; est, de quo in hoc capite potissimum nobis agendum: Quod sc. Dominus propter nimiam scœvitiam, quam exercet in servum, à Præside provinciæ cogi possit servum vendere æquis conditionibus; idq; ideò, quia expedit Reipubl: ne quis re suâ malè utatur, & quia ipsorum quoque Dominorum interest, ne denegetur servis contra eorum scœvitiam justè deprecantibus auxilium. *S. ult. l. de his, qui sui vel alien. jur.*

TH. V.

Fit itaque hæc venditio propter nimiam Dominorum scœvitiam: Dicitur verò Dominus nimium scœvire, quando durius servum habet, quàm æquum est, necessaria alimenta non suppeditat, aut infami eundem injuriâ afficit. *d. S. & l. 2. ff. eod. & quamvis stricto jure injuria in servum non cadat, quandoquidem ea pertinet ad dignitatem. l. 1. §. 2. ff. de Injur. servorum verò dignitas nulla est. l. 32. ff. de donat. inter Vir. & Uxor. hinc tamen aliud dicendum, quando scil. Dominus ad obscœnam corporis violationem eum compellit & prostituit. l. 1. §. 8. de Offic. Præs. Urb. l. 34. inf. de Fignor. act. nam hoc dicitur infamis injuria, quia cum mortis metu comparatur. l. 8. ff. Quod met. causæ.*

TH. VI.

Procedit porrò hæc venditio ex jussu Præsidis vel Præsæti urbis, *l. 1. §. 1. de Offic. Præs. urb. cui incumbit cognoscere de servorum*

rum

rum querelis; Temerè enim servis fides non habenda, cum natura Domini hostes, & tempè sub justæ querelationis prætextu debitis servitiis se subtrahere satagant, igitur inquirendum priùs, an nimia Dominorum sævitia causam fugæ præbuerit: solebant enim aufugere ad Principum statuas, cum inde abstrahi non possent à Dominis, unde asyla dicta, *l. un. C. de his, qui ad Statu. Princip.* quod asylorum Jus templis postea concessum quoque, *Nov. 17. 376 et. C. de his, qui ad Eccles.* & post eum audiebantur à Præf. urb. & coram eodem querelas suas exponebant, non quidem per viam actionis, quod servo neutiquam concedendum, quandoquidem actiones sunt Juris Civilis, de quo servi nil participant, sed verecunde ex postulando, *l. 1. §. 8. de Offit. Præf. urb.* & hic postea, si justas eorum deprehendebat querelas, jubebat Dominum servum venire bonis conditionibus; nec enim liberum est Domino pro lubitu quasvis & iniquas conditiones venditioni apponere, cum vel per hoc planè impediri possit distractio servi, vel illi in pejorem conditionem detrudi, & sic fraus esset adinventæ Legi, quæ vult servis justè deprecantibus subvenire. Fiat itaque hæc servorum venditio bonis conditionibus.

TH. VII.

Ratio hujus invitæ venditionis fundamentalis est Interesse publicum: non enim tolerandus abusus rei propriæ, quando cum scandalo vel detrimento Reipubl: conjunctus, sed debet quisque de re sua disponere, uti dignum: *Nov. 22. c. 2.* & certè nî publico nocuisset nimia Dominorum sævitia, testatur enim *Bodin. l. 1. c. 4. de Republ:* inhumanam servorum tractationem gravium quandoque motuum causam dedisse, quibus universæ Reipubl: ad internecionem usque everse sint; servis vix mitiora sperare licuisset. Accedit tamen & propria quoque Dominorum utilitas, qui proinde nullam habent conquirendi causam, quòd illis res propriæ auferantur, nam non modò indemnes servantur, dum justum recipiunt pretium, quod definivit Justinianus Imperator in *l. 1. §. 5. C. de commun. serv. manumiss.* sed etiam damna, quæ certò incidere rent, hoc ipso ab eis propulsantur, servi enim intolerabili crudelitate perciti, si nullum aliud salutis appareret remedium, aut fugâ sibi consulerent, aut vim vitæ inferrent, aut Dominis insidias pararent;

tarent; Laesa enim patientia fit saepe furor; haec vero omnia hoc solo evitantur, quo Dominus eos vendere cogitur.

TH. VIII.


Proposita haecenus, hodie non habent usum propter abolitam servitutem, quam Majores nostri ad immitiores Barbaros justè relegarunt; Duriusculam E. & improbabilem eorum opinionem esse putamus, qui eam reductam volunt *arg. Nov. 89. c. 11.*; Petitio tamen argumento à Dominio ad Jurisdictionem, quod validum in Jure esse probant *Id. ex l. 20. ff. de stat. hom.* concludunt vulgò, quòd ob eandem nimis sœvitiae rationem, quam illi, qui Jurisdictionem habent, exercent in subditos, cogi possint à superiore Jurisdictionem vendere; Imò quòd tali casu planè Jurisdictione privari possint, ut subditi nullo unquam tempore in eorum potestatem revertantur; Id quod non alienum ab æquitate, quoniam Gentilibus tam exosa Dominorum crudelitas, quanto magis Christiani omnem injustam fugiant violentiam. Debet enim Dominus subditorum jura servare, non violare, sicut proficitur *Lotharius Imperator in c. 2. F. 52.* quando dicit: *Imperialis benevolentia proprium esse judicamus, commoda subjectorum investigare & eorum calamitatibus diligenti curâ mederi, similiter Reipubl: bonum statum, ac dignitatem Imperij omnibus privatis commodis praeponere;* uti Justinianus de se prædicat *in l. 1. de Emend. C. v.* in hanc rem *Carpz. lib. 1. Resp. 53. n. 7. Gail. l. 1. O. 17. Mynsing. Cent. V. O. 8.* Hæc sunt, quæ de Venditionis invitæ materiâ conscribere potui. Ignosces verò B. L. ingenio, quod exiguum est, & si quæ minus comtè & acutè dicta deprehendes, non dabis vitio mihi, qui Juvenis adhuc sum, meliora suppeditabunt usus, ætas & experientia.

Tibi, Summe DEUS, sit Laus sempiterna,
& hisce felicem Disputationi
impono

F I N E M.







ULB Halle
001 522 310


3



JA 30L

1017






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



1678

Handwritten numbers and scribbles: 8, 5, 9, 48

JURIDICA

TIONE TA,

n celeberrima
Ordinis,

ine.

AMPLISSIMI
SSIMI

DI NICOLAI
J. U. D.

tudiorum suorum,
iis devenerandi,

a sistie
DC. LXXIIK.
orum,

PHUS BRAUNE,

Excudebat SIMON Steberhise.

17

